

omnes ejus vires frequente evacuatione, & morbo recidivo exhaustiens; id quod per experientiam factis scire licet.

- §. 13. Ac denique indiscretim haec medela adhibita magnam incitiam, atque imperitiam medici redarguit, ac si nullum aliud remedium istis morbis utilius sciret, quam hoc; neque indicationem dexteriorem sive aptiorem ad istos morbos atque securiorem excogitare possit, quam hanc solam: illud enim cum vulgatissimum & simul facillimum sit, & caeco evidens est, & imperitioribus; haec vero cum & rudibus cogitatu facilis sit, artis medicae ratiociniis minime indiget, sed hoc ei sufficit, quod secanda sit vena, atque sanguis extrahendus, sive opus sit, sive non. Nihil ergo ab artis expertibus plane differt qui venam indiscretim hic fecat.
- §. 14. Cum tales huic remedio difficultates adsint, atque indicationes ejus etiam valde inutiles, ut nemo per hoc remedium aegrotantibus professe possit, immo vero obesse in talibus morbis, & si modice & semel quis hoc adhibeat; quis possit bis aut ter hoc adhibere, in exquisita aegrotantis curatione? Vel cur frustra in his morbis venam fecet,